



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ  
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,  
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa  
Canonica Deductus**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1708**

354. An requiratur consensus patroni, dum beneficium respectu cujus  
datur Coadjutoria, est jurispatronatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)



*preces veritate nitantur.* Et cum gratia Coadjutoria principalis fit invalida & ſubreptitia, clauſula acceſſoria futura ſucceſſionis eſt omnino inefficax, ceſſatque omnis affectio & reſervatio. Remouch. *loc. cit.* ex Garc. p. 5. cap. 1. num. 174. de quo poſtremo vide diſta à nobis ſupra quaſt. 323.

*Quaſtio 352. Num in datione Coadjutoria cum futura ſucceſſione requiratur conſenſus Ordinarii collatoris?*

1. **R**espond. primò: Non ſolet Papa Coadjutorias perpetuas, ſortituras ſuum effectum, pro quocunque menſe vacaverit beneficium Coadjuti, in præjudicium, ſeu ſine conſenſu Ordinariorum, ſive ad quos aliàs ſpectat illius in menſe ordinario vacaturi collatio, concedere; ita ut hi, contingente vacatione diſti beneficii in menſe ſuo illud liberè conferre poſſint, non obſtante titulo coadjutoriali, utpote nullo, ſub- & obreptito ac inefficaci, niſi fortè Coadjutoria conceſſa cum clauſulis generalibus (hec enim valida videntur) aut ſpecialibus iſti eorum conferendi poteſtati derogantibus. Remouch. c. 5. num. 13. & ſeq. Idque multò minùs reſpectu ordinariorum Collatorum Germaniæ ratione Concordatorum tanta cum ſolemnitate, ex cauſa unionis & tranquillitatis publicæ inter Eccleſiam Romanam & inclitam illam Nationem ſarorum & ſtipulatorum, vi quorum favorabilis longè, quàm aliarum provinciæ iſtiusmodi Concordatis non gaudentium Ordinariis, nec non cum verè pactiois ſpecie conſtituta illa alternativa. Quæque ſignanter excludunt omnes exſpectativas, reſervationes ac collationes, reducantque reſpectu ſex menſium materiam illam provisionis beneficiorum ad diſpoſitionem juris communis, quo Epifcopi juxta c. omnes Baſilicæ. & ſeq. 16. q. 7. & Garc. p. 5. c. 1. num. 52. beneficiorum omnium quovis menſe vacantium ſunt collatores ordinarii. Remouch. num. 16. Unde concludendum, ut Idem ait num. 17. in Germaniâ non dari per Pontificem, nec admitti hujusmodi Coadjutorias, niſi cum conſenſu Ordinariorum. Unde jam etiam ſuſtinentia non erit gratia coadjutorialis reſpectu dignitarum collatarum, ſeu non electivarum cadentium in alternativa ex hoc capite, quòd conſenſus Coadjuti ſeu poſſeſſoris regulariter requiſitus cenſetur habere vim reſignationis ad manus Papæ, quem conſtat poſſe, non obſtantibus etiam Concordatis, quovis menſe admittere reſignationes. Nam verum non eſt, quòd diſtus conſenſus habeat propriè vim & ſpeciem reſignationis. Remouch. cap. 5. num. 29. & ſeq. juxta diſta à nobis ſupra.

2. **R**espondeo ſecundò: Collatorum quoque ex indulto talium, ſeu habentium jus conferendi, dum ſunt Epifcopi, conſenſus requiri videretur ex eadem ratione; quòd nimirum habeant intentionem jure communi fundatam conferendi beneficia in omni menſe, ita ut tale indultum, quo ſcilicet datur facultas conferendi beneficia vacantia in menſibus Pontificiis reſervatis non augeat propriè competentem ius poteſtatem conferendi, nec tam ſit privilegium;

R. Leuren. Tract. II. De Coadjutor.

quàm quòd per indultum illud removeatur impedimentum obſtans per reſervationes Apoſtolicas. Gracian. *diſcept. forenſ.* c. 127. num. 19. Gonz. *gl.* 24. num. 24. & ſeq. vel ad minimum requiritur ſpecialis & expreſſa delegatio indultorum illorum in datione Coadjutoria contenta. Remouch. *loc. cit.*

3. **R**espondeo tertio: Prælatorum aliorum, Collegiorum, Univerſitarum &c. quibus citrà aſſiſtentiam illam juris communis extraordinariè, & ex mere indulto competit facultas nominandi vel providendi conſenſus non requiritur; eò quòd indulta eo caſu nitantur favore & privilegio ſpeciali, ſolentque emanare ob privatam ſæpe utilitatem reſpectu certorum beneficiorum verè per obitum certis tantum menſibus Apoſtolicis vacantium, ac ſalvis reſervationibus, præventionibus, gratiis exſpectativis & iis beneficiis, quæ contingeret Papam per manus appoſitionem afficere. Qualis ſunt juxta ſententiam plurium ea, reſpectu quorum concedit Coadjutoriam. His non obſtante, quòd fortè aliquibus hiſce indultis inſerta prærogativa gaudendi quò ad hoc indultis Germaniæ ad inſtar, cum decreto irritante; dum illa reſpicere poteſt executionem duntaxat, ſeu modum conferendi taxativè reſpectu illorum beneficiorum verè per obitum, non verò ſiſtè ſeu alio modo vacantium, vel reſervatorum, per exſpectativam aliãve manûs appoſitionem affectorum. Quin & licet iſta indulta tollent gratias tales præventivas; quia tamen ſunt mere privilegia juris communis aſſiſtentia carentia, eorumque conceſſio non officit, quò minùs integra pleniorve poteſtas inſubdicabiliter remaneat penes concedentem Papam, hinc tacita & virtualis derogatio reſultans exercitè ex contraria diſpoſitione ſufficit; cum ut Gonz. *gl.* 5. §. 9. num. 12. Mohed. *tit. de privilegiis. deciſ.* 10. &c. & nos ſupra, ſolum reſpectu Cardinalium, quibus fortè conceſſa facultas conferendi, ſublatis etiam præventivis Rôra reſolverit, requiri expreſſam in Coadjutoris derogationem. Ita ferè Remouch. *loc. cit.* n. 18.

*Quaſtio 354. An requiratur quoque conſenſus patroni, dum beneficium, reſpectu cujus datur Coadjutoria, eſt juris patronatus?*

**R**espondeo: Requiritur conſenſum patroni laici; ſicut enim iſtiusmodi beneficia non poſſunt conferri ſine conſenſu patroni, ne avertantur Chriſti fideles à piis fundationibus, ita nec Coadjutoria perpetua cenſetur per Papam concedi, niſi concurrente patroni conſenſu; eò quòd per Coadjutoriam transferatur aliquis titulus. Remouch. c. 12. num. 17. & *cit.* c. 5. num. 28.

citatus Lambert. *de jurep.* l. 2. p. 1.

q. 6. principal. a. 2.

num. 1.

\* \* \* \* \*

¶

Quaſtio